THEOLOGISCHE SAMMELHANDSCHRIFT

12. bis 13. Jh. Seite 121r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26453
Copyright: Admont, Benediktinerstift

natura dum per se ipsam consideratur quaedam tenebrosa substan-
tia est, capax ac particeps lucis ac sapientiae. Et quemadmodum
praefatus aer dum solares radios participat non dicitur per se lucere
sed solis splendor dicitur in eo apparere, ita ut naturalem
suam obscuritatem non perdat, et lucem supervenientem in se reci-
piat, ita rationabilis nostrae naturae pars dum praesentiam dei verbi
possidet, non per se res intelligibiles et deum suum, sed per insitum
sibi divinum lumen cognoscit. Audi ipsum verbum. Non vos
inquit estis qui loquimini sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Hac
una sententia voluit nos docere idipsum in ceteris intelli-
gere, ac semper in aure cordis nostri ineffabili modo sonare. Non vos
estis qui lucetis, sed spiritus patris vestri qui lucet in vobis. Hoc est me in
vobis lucere vobis manifestat, quia ego sum intelligibilis mundi,
hoc est rationalis et intellectualis naturae. Non vos estis qui in-
telligitis me sed ego ipse in vobis per spiritum meum meipsum intel-
ligo, quia vos non estis substantialis lux, sed participatio
per se subsistentis luminis. Lux itaque in tenebris lucet, quia dei
verbum vita et lux hominum in nostra natura quae per se investiga-
ta et considerata informi quaedam tenebrositas reperitur,
lucere non desinit, nec eam quamvis delinquentem deserere volu-
it, nec umquam deseruit, formans eam per naturam continendo,
reformansque per gratiam deificando. Et quoniam ipse lux omni creaturae
incomprehensibilis est, tenebrae eam non comprehenderunt. Superat
namque deus omnem sensum et intellectum, et solus habet inmortali-